



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1710**

I. Dies Maji. Omnes dies sapiens tanquam vitam ordinat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45477**

QUOTIDIANA  
CHRISTIANI MILITIS  
TESSERA.  
PARS SECUNDA.

I. DIES MAJI.

Omnes dies sapiens tanquam vitam ordi-  
nat, *Seneca de brev. c. 7.*

Tempus I.  
hoc mense  
benè ordi-  
nandum.



Senescimus tacitis non  
tantum annis, sed  
mensibus; utinam  
cum illis senescamus  
& virtutibus. Quid  
exigit hic novus, que

auspicaris, mensis, nisi novum ardorem novæ con-  
gregandæ messis? Attende: ut in flumine unda un-  
dam trudit, nec unquam revocat elapsam; sic in  
tempore, dies, diem, nec reparas amissam. In tempore  
tamen sumus non tantum profusi, sed prodigi, cujus  
unius inter omnia ut laudabilis, sic & utilis est avari-  
tia. Si vis ut par est, tempus impendere, sic illud o-  
portet meriti, & dispartiri, ut neque rationis quic-  
quam ad benè agendum desit, neque libidini quic-  
quam ad malè agendum superfit. Nullam sit ergo  
tem-

X

tem-



tempus, quod careat officio virtutis ; nullum incrementum temporis quod sit vacuum merito. Tempus sit licet brevissimum benè tamen peractum, & bene impendenti, immortalitati anteponendum est. Quid igitur cunctaris ? quid semper in horas tricaris laboraris? Tempus nisi occupes, fugit, imò licet occupaveris, tamen fugiet. Itaque nobis conandum, tantum non certandum est ut cum temporis celebritate, utamur ejus velocitate.

II. Quid patimur nobis elabi tempus ? O thesaurum non reperiendum ! fluit assidue, & nisi in usura sumus assidui, effluit. Et interim illic otium, illic alea, illic pila dataria perdimus : hinc tot homines perdit. Tempus nec Regis imperio, nec favore populi, longius se proferet : sicut jussit Deus temporum dispensator, à primo die præcipitabit, nunquam remorabitur. Una ætas ex hædo hirsuta facit hircum: utinam vel una ætas hominem ex imperio faceret pium ! Navigamus omnes cum vivimus, in corporis cymba quassa & debili : vix spatio loci distamus à morte duobus digitis, ne quidem duobus momentis, spatio temporis, & quod hinc sequitur ab æternitate. Vita igitur hæc nostra via est in prærupis æternitatis crepidine utrimque subjecta : certi sumus nos indè aliquando lapsuros, incerti an ad dextram fœlicis, an ad sinistram infœlicis æternitatis : Scilicet hac tam brevi, & lubrica via, adhuc sumus metu vacui, sine cura securi, sine sollicitudine imperterriti, sine anxietate læti.

III. Non tot sumus circumventi periculis, quod modis, ac viis urgemur ad mortem & æternitatem : hoc est innumeris : otiamur interim, oscitamus



Majus.

*Tessera.*

331

nugamur, torpemus, toti in captandis reculis. Non est momentum in vita, quo nobis non minatur finem vitæ: nulla tamen hujus rei est per omnem vitam vel cogitatio. Age quisquis es sanus, vegetus, florens, da mihi de tot tuis vel annum, quo certus sis te à morte in Æternitatis chaos non demergendum: annum scilicet? da vel mensem, vel diem, quin horam duntaxat: vel unicum de tot anni horis apicem, ac momentum: & dormis, edis, jocularis alacer in hoc rerum incerto, & lubrico, quasi annorum certus, ac propè sæculorum. Cur tam certa, eaque perpetua negligimus, quorum solâ nos suspicione, atque umbra contremiscere oporteret? Quam pauci te, ô Æternitas, occupant! Cur non prospicimus nobis, quid tandem futurum sit, quamdiu futurus est Deus? Fugit vita, vires deficiunt, hebescunt sensus, opes, alimenta, commoda sensim, ac brevi nos deserunt: nobis inquâ quid tandem futurum sit, in æternam transcriptis, deportatisque Regionem, cur non assiduè, seriò, unicè cogitamus? Revoca igitur in memoriam hujus diei tesseram, & sic vitam ordina hoc mense, ac si quælibet hujus mensis dies, imò & quævis diei hora, esset non hora vitæ, sed tota vita. Jam quidem mensis est Majus, mensium omnium ob cæli solique amœnitatem, & serenitatem jucundissimus. Sed audi Poëtam:

*Non stat per menses septem, Majus redolentes.*

2. DIES